DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

PATHOLOGIA PULMONIS:

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS HARTFORD,
HIBERNUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JOANNES MOIR.
MDCCCXXVI.

VIRO EXIMIO

THOMÆ PACK, M. D,

COLLEG. REG. CHIRURG. IN HIB. SOC.

IN MEDENDI ARTE

PERITISSIMO

HOCCE OPUSCULUM,

PEREXIGUUM AMICITIÆ TESTIMONIUM

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PATHOLOGIA PULMONIS.

AUCTORE GEORGIO HARTFORD.

PROŒMIUM.

Post tempora Bichat, meritò celeberrimi, qui, non primò quidem, at certe maximè subtiliter, universum corpus in plures ejus texturas divisit, Pathologi, reputantes partes ejusdem structurae obnoxias esse iisdem malis, coeperunt loqui de morbis, non ut olim totorum organorum, veluti pulmonis, ventriculi et iis similium, sed singularum texturarum ex quibus haec organa constarent; unde mirum est quantò major prudentia atque accuratio in scriptis medicis hodie reperiantur, quàm olim

usquam repertae sunt. Talem, igitur, distributionem sequens, cogito morbos organicos pulmonis in tria capita distribuere. Primo, de iis qui in texturâ ejus mucosâ; secundo, de iis qui in ipso parenchymate; tertio, de iis, qui in membranâ serosâ sedem habent, sequentibus paginis loquar.

CAPUT I.

DE MORBIS TUNICÆ MUCOSÆ.

Præcipua mala, quae hanc tunicam infestant, sunt, Cynanche laryngealis, cum sequelis ejus; Cynanche trachealis; Bronchitis; Catarrhus pulmonalis, et Peripneumonia notha.

Sect. I.—*De Cynanche Laryngeali.*—Hic morbus nuper solùm medicorum proprium studium sibi vindicavit, ut qui soleret olim semper confundi cum Cynanche tracheali; a quâ quidem saepe non facilè discernitur. Prae-

ter vulgares causas autem aliarum inflammationum, hoc vitium videtur propriè oriri, ex syphilide et hydrargyro; afficitque adultos homines vix minùs quàm pueros.

Accedit plerumque cum febre; quam brevi sequuntur raucitas et imbecillitas vocis, spiritus difficilis, et sensus quasi alieni corporis in larynge, quod metum strangulationis movet. Oculi et vultus rubent et tument, faucesque obscurè rubri coloris fiunt. Summus dolor est in parte, cum difficultate spirandi; unde, inter caetera signa, a Cynanche tracheali ferê discerni potest. Post mortem tota interior tunica laryngis signa inflammationis ostendit, serumque aut lympha coagulabilis effunditur, unde rima glottidis aut coarctatur aut intercluditur.

Quòd si serum effusum fuerit in illam plicam tunicae mucosae, quae latera glottidis quasi circumdat, potest id vitium movere quod *Oedema glottidis* nuper vocatum est. Hujus

mali praecipuum indicium est quòd homo satis facilè expirare potest, inspirare autem non sine summâ difficultate; ideo quia in priore actione, plicae membranae, modo valvularum, cedunt impetui aëris et ascendunt, in posteriore autem, decendunt iterque paene claudunt.

Alia satisque frequens terminatio Cynanches laryngealis *Exulceratio* est; quae cognoscitur longâ excreatione puris, cum febre hecticâ, postea quàm febris aliaque signa acutae inflammationis desierint.

Curatio Cynanches laryngealis, veluti aliarum omnium inflammationum, est per missionem sanguinis ex brachio, et ex parte ipsâ; per purgantia remediaque nauseantia, quò excitatio corporis imminuatur, fluxusque sanguinis ad cutem fiat. Adjuvantia quoque sunt vesicatoria super guttur, frequensque inhalatio vaporis aquae. Si Oedema glottidis accesserit, solum paene praesidium est tracheam adaperire, ita ut homo sic spiret, donec absorptio effusi humoris effecta est. Idem re-

medium interdum postulatur in exulceratione quoque; prodestque ad sananda ulcera inhalare vapores picis liquidae, sumereque intus balsamum copaiferae aliaque similia, quae propriam actionem in membranas mucosas habere videntur.

Sectio II.—*De Cynanche Tracheali.*—Hoc vitium mediam quasi naturam habere videtur, partimque ex inflammatione, partim ex spasmo, constare. Afficit maximè infantes et pueros, ex iisdem causis quibus aliae inflammationes; saepeque plures simul infestat.

Generalia signa similia sunt iis quae in priore morbo enumerantur. Propria, autem, ejus indicia sunt, sonus vocis admodum acutus, tussisque quasi per tubam aheneam transmittatur. Spiritus imprimis difficilis est, cantumque galli repraesentare dicitur, puerque saepe manus ad guttur movet, quasi ex metu instantis strangulationis. Inter tussiendum portiones membranae ex lymphâ coagulatâ saepe ejiciuntur; eademque post mortem, in-

terdum totam tracheam bronchosque obducens reperitur. Non raró morbus ad parenchyma ipsum pulmonis serpit (uti ex Doctoribus BAILLIE et CHEYNE colligimus) plurimaque mala in hoc quoque facit. Si per strangulationem finitur, verisimile est hoc interdum accidere ex accessione spasmi, quia puer saepe subitò rapitur, idque interdum cùm satis spatii etiamnum relinquitur ad spiritum commode ducendum.

Cynanche trachealis postulat ex toto similia remedia iis, quae in priore morbo proposita sunt; praeterque haec, submurias hydrargyri in magnis copiis, ab Doctore HAMILTON aliisque, multùm laudatur; potestque plurimùm adjuvare, non modò sanguinis circuitum aequalem reddendo, verùm etiam absorptionem effusi alicujus humoris excitando. Digitalis quoque pari modo agere existimatur; medicamentaque antispasmodica ad finem morbi rectè dari possunt. Quòd si metus strangulationis est, ad sectionem tracheae fortasse decurrendum erit: fatendum est au-

tem hoc praesidium in Cynanche tracheali rarò multùm valere, quia lympha coagulata altiùs per bronchos descendere solet, quàm ut hoc modo educi possit.

Sectio III.—*De Bronchitide, et Catarrho Pulmonali.*---In priore sectione diximus inflammationem a tracheâ ad bronchos saepe extendi; quod ubi accidit, vel ubi bronchi primaria sedes mali sunt, morbus Bronchitis vocatur. Hujus vulgaris divisio est in acutam et longam; ita ut utriusque plures species fiant, a Doctore Hastings quidem, non pauciores quàm septem prioris, et sex posterioris. Has omnes curiosè prosequi longum esset, neque hîc necessarium, siquidem natura morbi signaque ejus et curatio satis facile ex praeeuntibus colligi possunt.

Catarrhus autem, ubi afficit pulmonem, videtur esse simplex extensio ejus inflammationis quae vulgò in membranâ mucosâ narium fauciumque incipit; itaque proprium locum hîc postulare non videtur.

SECTIO IV.---*De Peripneumonâ Notha.*---Quaeri quidem potest an hic morbus inter eos qui membranam mucosam, an inter eos qui parenchyma pulmonis afficiunt, collocari debeat. Uti mihi autem videtur, quoniam saepe ex vulgari Catarrho initium suum capit, nihilque aliud esse videtur nisi extensio inflammationis a membranâ mucosâ ad partes protinus subjacentes, judicavi meliùs esse inter hujus texturae vitia hanc quoque enumerare ; idque maximè cùm a Cl. MONRO Peripneumonia Notha nihil aliud quam Cynanche trachealis longa esse existimetur. Ab hoc vitio autem ideo plurimùm distat, quòd, ut Cynanche trachealis infantes et pueros, ita Peripneumonia notha senes maximè vexat, atque ita Catarrhus senilis non raró vocatur.

Praecipua signa quibus hoc malum a caeteris similibus discernitur sunt longa oppressio obscurique dolores in pectore, cum difficultate aliquâ spirandi, crebrisque et gravibus accessionibus tussiendi, maximè manè, ubi homo primùm expergiscitur. Sub his mag-

na copia corrupti muci interdum ejicitur; fortasseque est ex collectione ejus in pulmone per noctem quòd summo mane tussis maximè urget.

In hoc morbo interdum opus est missione sanguinis; saepe vero melius est vesicatorium pectori admovere, idque apertum satis diu servare. Adjuvant medicamenta vomitoria et nauseantia quae multis nominibus valent, praecipuè verò adjuvando excretionem muci ex pulmone, indeque avertendo fluxum sanguinis ad summam cutem. Alvus satis soluta tenenda est; et, veluti in omnibus talibus morbis, quiete et temperantiâ imprimis opus est.

CAPUT. II.

DE MORBIS PARENCHYMATIS.

Parenchyma pulmonis sedes esse videtur praecipuè Peripneumoniae et Phthisis Pul-

monalis ; de quibus singulis cum loquar, praecipuas omnes pulmonis mutationes corruptas, quae cum alterutrâ ullo modo conjunguntur, enumerare conabor.

Sectio I.—*De Peripneumonia.*—Haec est inter frequentissimas inflammationes quibus corpus humanum obnoxium est. Saepius viros quàm foeminas afficit, eosque praecipuè robustos et mediae aetatis ; quo tempore, non modò actio cordis et arteriarum maxima est, sed etiam homines praecipuè objiciuntur iis causis unde morbus maximè excitatur. Ex his causis praecipuae sunt, frigus, vehemens exercitatio, intemperantia, ictus, et caetera omnia quae alias inflammationes movere solent : praeterea non rarò sequitur vehementem aliquem casum in aliis partibus corporis, satisque frequens est post membri amputationem ; quod explicari potest ex majore copiâ sanguinis qui tunc pulmonem, pro ratâ parte, occupat, unde magis obnoxius inflammationi manifeste erit.

Hujus autem frequentis mali haec maximâ ex parte signa sunt. Post horrores, aliaque signa venientis febris, dolor acutus in pectore sentitur, qui spiritu plurimùm intenditur; isque dolor modo fixus est, modò varias partes pulmonis percurrit. Hunc summa difficultas spirandi comitatur, acceditque tussis, quae initio sicca et molestissima est; ad haec, pulsus creber durus et validus est, urina parca, et cutis arida, sitis, et denique caetera omnia signa quae ardentem febrem ostendunt. Hoc modo morbus aliquamdiu procedit, donec aut idoneis remediis resolvitur, aut ad unam ex minùs felicibus terminationibus spectat; quòd si resolvitur, superiora omnia signa gradatim discedunt, tussisque praecipue magis humida fit, sputumque sine difficultate excreatur. Solent quoque aliae evacuationes resolutionem Peripneumoniae comitari; quales sunt fluxus sanguinis e naribus, copiosi sudores, fluor alvi, vel denique copiosum profluvium urinae rubrae et turbulentae. Haec interdum accidunt, sed saepius, ut dixi morbus per sputum resolvitur.

Non rarò autem accidit ut homines subitò in hoc morbo rapiantur; quod ubi fit, saepissime, ut videtur, oritur ex effuso sanguine in telam cellulosam pulmonis, quo cellulae aëris comprimuntur, homoque strangulatur. Haec affectio nuper *Apoplexia Pulmonalis* vocata est; distatque ab Haemoptysi, quia in ipsas cellulas aëris sanguis non pervenit, itaque non excreatur.

At si non integer sanguis, sed solùm serum ejus effunditur, facit id vitium quod aut *Oedema* aut *Anasarca Pulmonis vocatur.*

Denique si lympha coagulabilis est quae effunditur; hâc cellulae aëris ita comprimuntur, ut quasi coëant, atque ita portio pulmonis amittit spongiosam suam texturam, fitque solida, tanquam jecur, unde malum *Hepatisasio* vocatur. Hi omnes fines Pneumoniae satis infelices sunt, fereque, si hominem non protinus strangulant, longam et penè insuperabilem difficultatem spirandi movent.

Pejus adhuc verò est si morbus ad *Suppurationem* pervenit, unde magnae vomicae in pulmone interdum fiunt, acceditque Febris Hectica, et excreatio puris, homoque non raro, cum omnibus signis Phthisis, emoritur. Si abscessus ita rumpitur ut pus in cavumpectoris perveniat, facit id vitium quod vocatur Empyema, de quo postea loquar.

Peripneumonia rarò in *Gangraena* finitur; ideo fortasse quia homo priùs rapitur quàm inflammatio eò usque pervenire potest.

Curatio hujus morbi simplicissima est. Postulat missionem sanguinis, vesicatoria, omniaque remedia inflammationis, quae summâ diligentiâ admovenda sunt. Praeter haec, valet initio inhalatio vaporis aquae, quò tussis leniatur; et ad finem morbi, si modò per resolutionem finitur, adjuvant expectorantia, quò sputum faciliùs ejiciatur. Quòd si alio ullo modo morbus desierit, auxilia medicinae parum prodesse existimantur.

Sectio II.—*De Phthisi Pulmonali.*—Haec Britanniae nostrae pestis raró accidit ante pubertatem; quo tempore incipit mares et faeminas paritur infestare. Eos maximè opprimere videtur qui strumosi habitûs corporis sunt, quive nati sunt ex parentibus eodem modo affectis. Causa proxima verae Phthisis videtur esse penè semper tubercula, in telâ cellulosâ pulmonis; quae tubercula initio fortasse nihil aliud sunt quàm ampliatae glandulae lymphaticae. Haec igitur interdum diu in pectore latent sine incommodo; simul atque verò ulla causa irritationis accedit, ut puta Catarrhus, Peripneumonia, Variola, Morbilli, et iis similes morbi, tubercula inflammantur, brevique exulcerantur, et omnia signa confirmatae Phthisis movent. Vulgaris quidem divisio Phthisis solet esse in Catarrhalem, Apostematosam et Tubercularem; dubium est autem, ut dixi, an ulla species verae Phthisis praeter ultimam existat; neque enim difficile explicatu est quemadmodum morbus a Catarrho excitetur, et jam dixi vomicam Pulmonis saepe signa Phthisis inducere.

Idem morbus saepe tanquam sequela *Hæmoptysis* collocatur, neque quidem dubitari potest quin eadem causa quae Haemoptysin movet, Phthisin quoque, in iis qui jam tubercula in pulmone habent, movere possit. Haemoptysin autem per se causam Phthisis esse parum certè verisimile est; non modò quia prior saepe accidit, neque Phthisis unquam sequitur, sed etiam quia haec pestis saepe ab initio ad finem procedit, neque ullum signum Haemoptysis est.

Phthisis Pulmonalis plerumque incipit a levi tussi, quae vix animadvertitur, antequam causâ aliquâ adaucta fuerit, tunc non tussis solum, sed aliquid difficultatis spirandi annotatur, idque maximè ex lenissimo quoque motu. Brevi homo obtusos dolores sentit in pectore, coepitque emacrescere, et sputum in dies magis aspectum proprietatesque puris induit; caetera omnia signa ingravescunt, et manifesta febris hectica accedit. Haec interdum intra breve spatium hominem interimit; saepius vero diu protrahitur, homoque tandem

ex merâ exhaustione perit. Capilli cadunt, oculi splendorem suum amittunt et margaritam repraesentant, genae circumscripto rubore occupantur, omnia lineamenta faciei constricta sunt, summaque et horribilis macies totius corporis est; modò sudoribus nocturnis, modò diarrhoeâ homo conficitur, palmae plantaeque calent, ungues curvantur, plumbeique coloris fiunt, vires ex toto franguntur, homoque tandem saepe quasi somno correptus, morbo succumbit, idque non raro cum spe redeuntis sanitatis maximè delectatur. Quoniam, igitur, hic morbus pene semper mortiferus est, etsi progressus ejus pluribus casibus retardari possit, plurimi modi inventi sunt deprehendendi veram Phthisin ab aliis similibus morbis. Medici olim quaestionem referre solebant plerumque ad discrimen inter pus et mucum; sed hic modus pluribus nominibus fallere nos potest, itaque hodie magis credere solemus instrumentis, quae, ubi ad pectus admoventur, pulmonis conditionem indicare putantur. Itaque si Stethoscopium pectori in verâ Phthisi admovetur, homoque loqui imperatur, is sonus

auditur qui pectoriloquismus vocatur, ideo quia excavatio in pulmone modo arcûs sonum vocis reverberat. Si quando igitur dubium est an homo veram Phthisin habeat necne, hoc instrumentum diagnosim plurimùm adjuvare potest.

Pertinet ad hunc locum fortasse dicere quod, praeter tubercula, modo *Calculi* exigui, modo *Hydatides*, modo nigra corpuscula quae *Melanoses* vocantur, in pulmonis substantia generantur: horum vitiorum autem neque ullum certum signum est, dum vita superest, neque ulla certa curatio cognoscitur.

Verae Phthisis autem, veluti omnium paene insanabilium morborum, remediorum nullus finis est. Satis igitur sit hic dixisse praecipuum consilium curationis initio esse prohibere inflammationem tuberculorum; ut procedit morbus, ulcera sanare; et, si hoc fieri non potest, signis maxime urgentibus consulere, et, quam vitam servare non possumus, eam tolerabilem reddere. Imperamus igitur initio locum mediterraneum aëremque potius hu-

midum nimis quam siccum ; calida vestimenta, victum ex lacte, interdum missionem sanguinis, et vesicatoria, cum digitali acidoque hydrocyanico, quae plurimúm valere putantur in corpore sedando. Si morbus paulúm processerit, crebra vomitaria ex sulphate cupri sulphateve zinci multúm laudata sunt ; vaporesque picis liquidae multúm prodesse, ad sananda ulcera, existimantur. Ubi ad finem ventum est, summum auxilium in medicamentis ex opio et conio, aliisque similibus est ; et, prout res postulat, confugiendum est ad demulcentia, astringentia, corroborantia, et caetera hujusmodi ; ut accessio mortis quàm minimè molesta sit.

CAPUT III.

DE MORBIS TUNICAE SEROSAE.

Soli primarii morbi quos hic enumerare oportet, uti mihi videtur, sunt Pleuritis et Hydrothorax ; siquidem omnes aliae structurae mutationes circa hanc tunicam cum alterutro ex his aliquatenus conjungi videntur.

SECTIO I.—*De Pleuritide.*—Omnia, quae jam dicta sunt de causis Peripneumoniae, ad Pleuritidem pariter bene referri possunt, quinetiam olim putatum est omnes species acutae inflammationis pulmonis in pleurâ semper incipere. Hoc fortasse verum non est; tamen omnes causae quae aut reddunt homines obnoxios his malis, vel alterutrum protinus movent, alterum quoque movere pari ratione possunt.

In certo et manifesto exemplo Pleuritidis, signa omnia, etsi generaliter eadem sunt quae in Peripneumoniâ se ostendunt, tamen singula aliquid proprium et diversum habent. Etenim dolor, qui in Peripneumoniâ obtusior esse solet, in Pleuritide, acutissimus est; tussisque, quae in priore morbo plus minusve humida est, in posteriore, sicca et molestissima: pulsus quoque in Pleuritide durior esse consuevit quam in altero morbo, et febris magis ardens; omniaque denique signa pejora sunt, pro rata parte, praeter difficultatem spirandi, quae sola in Peripneumonia magis urget. Hujus rei explicatio non est difficilis; siquidem ubi tela

cellulosa pulmonis inflammatur, et tumet, sequitur ut cellulae aëris magis comprimantur quam ubi exterior tunica ejus solum afficitur. Pleuritis, veluti Peripneumonia, finiri potest in resolutione, (id quod optimum est) interdum tamen modis minus felicibus terminatur.

Ex his modis terminandi frequentissimus est per *Adhaesiones*, quae quidem tam saepe accidunt, ut in nostra regione corpus raro adaperiatur, quod nihil tale in pectore ostendit. Hae adhaesiones fiunt ex effusa lympha coagulabili, per quam vasa sanguifera postea tendunt, atque ita in funes organicos quasi convertunt. Neque quidem hi funes, dummodo in partibus pectoris minus mobilibus siti sunt, multum incommodi movent; sin vero admodum breves sunt, et ibi positi ubi major motus inter pulmonem atque costas est, suis incommodis non carent.

Raro accidit ut integer sanguis effundatur in hoc morbo; quod vitium, siquando evenit, *Haemathorax* vocatur: multo autem saepius in effusione seri terminatur; atque hoc modo frequens illud vitium, quod hydrothorax vo-

catur, excitatur; sed quoniam hic morbus alias causas quoque habere potest, de hoc proprie postea loquar.

Pleuritidis alius minusque felix finis est suppuratio unde pus gignitur, quod, effusum in pectus, facit id malum quod *Empyema* vocatur. Hujus pleraque signa paria sunt iis quae in hydrothorace accidunt, nisi quod subita excitatio ex somno rarius occurrere dicitur.

Etsi interdum, tamen admodum raro Pleuritis ad gangrenam pervenit.

Curatio pleuritidis ex toto par est ei quae in Peripneumonia proposita est, nisi quod minor occasio esse videtur, demulcentium, minorque expectorantium, quia hic morbus rarius per sputum resolvitur. Vulgaria autem remedia inflammationis admoveri summa pertinacitate debent, ad morbum resolvendum; si enim ad ullam ex minus faustis terminationibus percurrit, curatio aut nulla aut difficilis erit.

Sect. II.—*De Hydrothorace.*—Dixi jam hunc morbum ex inflammatione pleurae saepe proficisci, sed multae aliae causae sunt unde non rarò morbus movetur. Ex his praecipuae sunt omnes quae, Hydropem in aliis partibus corporis concitare solent; ut puta aliquod impedimentum liberi circuitus sanguinis per venas, vel summa imbecillitas totius corporis, et habitus, ut dicitur, leucophlegmaticus. Potest igitur morbus organicis vitiis cordis pulmonisque moveri, siquidem fieri non potest quin his circuitus sanguinis per venas impediatur. Quòd si imbecillitas causa morbi est, maximè infestat senes, eosque qui longis morbis jam debilitati fuerunt; neque difficile est explicatu quemadmodum mera imbecillitas, relaxando vasa exhalantia, retardando circuitum per venas, attenuando sanguinem ipsum, et imminuendo absorptionem, ut alios omnes hydropes, ita Hydrothoracem concitari possit.

Cognoscitur autem Hydrothorax summâ difficultate spirandi, assiduâ tussi, difficili decubitu, tumultuosis somniis, cordis palpitatione,

pulsu inaequali, livore faciei, torpore brachiorum, et, ante omnia, sensu fluentis aquae in pectore, ubi pectus certo modo agitatur. Ad haec, generalia quaedam signa hydropis accedere solent; qualia sunt sitis, cutis arida, urina parca, et pedum oedema. Veruntamen fatendum est, etsi tam multa signa enumeravimus unde hydrothorax ostenditur, tamen nullum ex his tam certum atque proprium huic morbo esse, ut ei semper confidere possimus; satisque constat, non modò multos homines ex hoc morbo periisse in quibus nunquam suspectus est, sed etiam pleraque ex istis signis accidisse quum, post mortem, ne gutta quidem aquae in pectore reperta est.

Consilium, in hoc morbo curando, primum est depellere, si fieri potest, causas unde excitatur; itaque saepe incipiendum est, a sanguinis missione, aliisque remediis inflammationis: quòd si morbus ex imbecillitate contrahitur, ad hoc consilium implendum corroborantibus remediis potiùs opus erit. Secundum consilium est aquam educere; et hoc efficere conamur aut per medicamenta, quibus insolitus aliquis fluxus ex corpore fit, atque ita absorp-

tio augetur, aut per foramen quo humor protinus educitur. Priora remedia aut purgantia, aut vomitoria, aut diaphoretica, aut diuretica, praecipuè sunt: horum omnium postremis summopere confidimus; et ex ipsis diureticis validissima esse putantur digitalis et scilla, quae igitur in hoc morbo usitatissima et optima remedia sunt.

Licet hîc subjicere quòd aqua in hydrothorace non semper cavum ipsum pectoris occupat, sed interdum in *Hydatidibus* continetur; quod ubi accidit, hae nonnunquam celeri absorptione ad superficiem pulmonis feruntur, tussiendoque ejiciuntur: verùm hoc rarissimè fit.——Nonnunquam quoque alia vitia in pleurâ nascuntur; qualia sunt id quod vocatum est, *Degeneratio ejus Miliaris,* sub quâ exigua quaedam corpuscula, modo seminum miliarium, per eam sparguntur; et *Conversio ejus in cartilaginem, aut in os;* sed neutrum ex his aut cognosci, vivo corpore, aut ullam curationem admittere posse videtur.

FINIS.

Excudebat Joannes Moir, 1826.